

## **P. OVIDI NASONIS**

### **METAMORPHOSEON LIBER DECIMVS**

Inde per immensum croceo velatus amictu  
aethera digreditur Ciconumque Hymenaeus ad oras  
tendit et Orpheia nequiquam voce vocatur.  
adfuit ille quidem, sed nec sollemnia verba  
nec laetos vultus nec felix attulit omen. 5  
fax quoque, quam tenuit, lacrimoso stridula fumo  
usque fuit nullosque invenit motibus ignes.  
exitus auspicio gravior: nam nupta per herbas  
dum nova Naiadum turba comitata vagatur,  
occidit in talum serpentis dente recepto. 10  
quam satis ad superas postquam Rhodopeius auras  
deflevit vates, ne non temptaret et umbras,  
ad Stygia Taenaria est ausus descendere porta  
perque leves populos simulacraque functa sepulcro  
Persephonen adiit inamoenaque regna tenentem 15  
umbrarum dominum pulsisque ad carmina nervis  
sic ait: 'o positi sub terra numina mundi,  
in quem recidimus, quicquid mortale creamur,  
si licet et falsi positis ambagibus oris  
vera loqui sinitis, non huc, ut opaca viderem 20  
Tartara, descendi, nec uti villosa colubris  
terna Medusaei vincirem guttura monstri:  
causa viae est coniunx, in quam calcata venenum  
vipera diffudit crescentesque abstulit annos.  
posse pati volui nec me temptasse negabo: 25  
vicit Amor. supera deus hic bene notus in ora est;  
an sit et hic, dubito: sed et hic tamen auguror esse,  
famaque si veteris non est mentita rapinae,  
vos quoque iunxit Amor. per ego haec loca plena timoris,  
per Chaos hoc ingens vastique silentia regni, 30  
Eurydices, oro, properata retexite fata.  
omnia debemur vobis, paulumque morati  
serius aut citius sedem properamus ad unam.  
tendimus huc omnes, haec est domus ultima, vosque  
humani generis longissima regna tenetis. 35  
haec quoque, cum iustos matura peregerit annos,  
iuris erit vestri: pro munere poscimus usum;  
quodsi fata negant veniam pro coniuge, certum est  
nolle redire mihi: leto gaudete duorum.'

Talia dicentem nervosque ad verba moventem 40  
exsanguis flebant animae; nec Tantalus undam

captavit refugam, stupuitque Ixionis orbis,  
 nec carpere iecur volucres, urnisque vacarunt  
 Belides, inque tuo sedisti, Sisyphæ, saxo.  
 tunc primum lacrimis victarum carmine fama est 45  
 Eumenidum maduisse genas, nec regia coniunx  
 sustinet oranti nec, qui regit ima, negare,  
 Eurydicenque vocant: umbras erat illa recentes  
 inter et incessit passu de vulnere tardo.  
 hanc simul et legem Rhodopeius accipit heros, 50  
 ne flectat retro sua lumina, donec Avernas  
 exierit valles; aut inrita dona futura.  
 carpitur adclivis per muta silentia trames,  
 arduus, obscurus, caligine densus opaca,  
 nec procul afuerunt telluris margine summae: 55  
 hic, ne deficeret, metuens avidusque videndi  
 flexit amans oculos, et protinus illa relapsa est,  
 brachiaque intendens prendique et prendere certans  
 nil nisi cedentes infelix arripit auras.  
 iamque iterum moriens non est de coniuge quicquam 60  
 questa suo (quid enim nisi se quereretur amatam?)  
 supremumque 'vale,' quod iam vix auribus ille  
 acciperet, dixit revolutaque rursus eodem est.  
 Non aliter stupuit gemina nece coniugis Orpheus,  
 quam tria qui timidus, medio portante catenas, 65  
 colla canis vidit, quem non pavor ante reliquit,  
 quam natura prior saxo per corpus oborto,  
 quique in se crimen traxit voluitque videri  
 Olenos esse nocens, tuque, o confisa figurae,  
 infelix Lethæa, tuæ, iunctissima quondam 70  
 pectora, nunc lapides, quos umida sustinet Ide.  
 orantem frustra que iterum transire volentem  
 portitor arcuerat: septem tamen ille diebus  
 squalidus in ripa Cereris sine munere sedit;  
 cura dolorque animi lacrimæque alimenta fuere. 75  
 esse deos Erebi crudeles questus, in altam  
 se recipit Rhodopen pulsumque aquilonibus Haemum.